



20  
spectat, vt dixi. hoc posito

17 Probatur primò de obiecto materiali mea sententia [ id quod dico, non est vt Thomistarum, & Scotistarum despiciam rationes, sed vt magis appareant aliæ quoque probabiles rationes in cōtrarium ] probatur inquam meum propositum sic: obiectum materiale cuiusuis scientiæ illud est determinandum, quod est capax formalis mobilitatis; sed ens vt sic, non est capax mobilitatis; ergo ens vt sic non est obiectum materiale, remotum physicæ. probo minorem, quia Deus est ens, cui non competit mobilitas, vt fit, quod vox illa mobile, minus latè pateat quam ens, & per consequens non debet restringere ens, quod fit primum subiectum illius: id vero quod Thomistæ dicunt de ente, verum est de eo quod comprehendit præcisè, non autem excedenter, sicut non valet in ente, ens namque non comprehendit præcisè, sed excedenter physicalia; ergo oportet inquirere hoc primum subiectum, cui primò conuenit mobilitas, & ratione illius alijs, quæ mobilia entia dicuntur, quod non potest esse nisi corpus; ergo hoc, vel aliquid aliud erit obiectum, materiale.

18 Probo secundò de obiecto formali, quia vel mobile sumitur in primo sensu supra explicato in hac subsektionem n. 16., in secundo, prout ibidem, videlicet vt potentia ad motum, vel vt principium talis potentiæ. quocumque modo sumatur non potest esse obiectum physicæ formale; ergo &c. minorem sic suadeo, & primo quoad primam partem, videlicet quatenus mobile dicit potentiam ad motum non potest esse obiectum, formale physicæ. ratio formalis obiecti, & maximè in scientijs speculatiuis, debet esse prima radix, ex qua omnes aliæ passionis deriuentur in talibus scientijs demonstrandæ; atqui ens mobile primo modo acceptum non est huiusmodi; ergo non ratio formalis obiecti physici, siue obiectum formale physiologiæ: maiorem sic suadeo; nam ratio formalis obiectiua ita debet esse vnita immediatè cum materiali obiecto, vt cum de illo prædicatur non possit per aliud à priori demonstrari: nam ratio formalis obiecti, causam non habet, per quam demonstrari possit, quamuis ipsa sit causa demonstrationis ceterorum; ad rationem etenim formalem non datur ratio formalis, vt testantur Aristotelici cum suo magistro primo posteriorum text. 17. minor primi argumenti etiam ostenditur, mobilitas enim vt sic potest à priori demonstrari si non dicamus, omnis